



Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Bvlla S.D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super declaratione decreti
Concilij Tridentini de cognatione spirituali inter maritum, vel vxorem
susipientis, & baptizatiq[ue] patrem, & matrem, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

BVLLA S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V.
 Super declaratione decreti Concilij Tridentini de cog-
 natione spirituali inter maritum, vel vxorem susci-
 pientis, & baptizatum, baptizatiq; patrem, & ma-
 trem, & quascumque alias personas tam ex
 parte suscipientis, quam baptizan-
 tis, & baptizati.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



V M illius vicem, licet minimè suffragantibus meri-
 tis, geramus in terris, de cuius vultu prodit Iudiciū,
 & vident oculi æquitatem, officij nostri debitā pro-
 sequimur actionem, si obscuros sacrorum Canonū
 sensus ita aperire studemus, ut pijs Christi fidelium
 mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sa-
 nè licet ex eo quod in Concilio Tridentino decre-
 tum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantū contrahi, qui sus-
 ciipiunt baptizatum de Baptismo, ac baptizatiū ipsum, & illius patrem
 & matrem, necnon baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem
 & matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos Canones occasione
 cognationis huiusmodi contrahere prohibeantur, omne impedimen-
 tum sublatum esse uideatur: adhuc tamen ab aliquibus dubitari acce-
 pimus, an saltem impedimentū cognationis spiritualis huiusmodi inter
 maritum uel uxorem suscipientis, & baptizatum, necnon inter maritū
 uel uxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati uigeat, propte-
 rea quod prohibitum de uno coninge de altero etiam prohibitum ef-
 se uideatur. Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum favori
 (quantum ex alto nobis permittitur) consulere uolentes, à præcis ver-
 bis Concilij minimè discedendum in præmissis esse censuimus. Et
 propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hu-
 iusmodi subesse decernimus, & declaramus, quo minus inter dictos,
 maritum uel vxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatiq; pa-
 trem, & matrem, & quascumque alias personas tam ex parte susci-
 pientis quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nomina-
 tum non expressas, Matrimonium liberè & licitè contrahi possit, & ita
 ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus: decernen-
 tes irritum & inane, si quid secus à quoquam quacumque dignita-
 te, auctoritate, & potestate prædito contigerit iudicari, non obstanti-
 bus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, alijsque contrarijs

quibuscumque. Volumus autem, q̄ presentes litteræ in Cancellaria nostra Apostolica, & Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Constitutiones perpetuò valituras describantur. Et quia difficile foret presentes ad singula quæque loca deferri, q̄ earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadē prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, M. D. LXXVI. I V. Kal. Decemb. Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Visa decuria Io. Barenus.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo sexto, Indictione nona, die uero decimanona mensis Decembris, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ Quinti Anno eius primo, Retroscriptæ literæ Apostolicę affixæ, & publicatę fuerunt ad ualuas Cancellariæ Apostolicę, & Acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Antonium Clerici, & Io. Andream Rogerium præfati S. D. N. Papæ Curf. Stephanus de Olea Mag. Curf.

CONSTITVTIO S. D. N. D. Pij, Diuina prouidentia Papæ V. Super confirmatione, ac reuolidatione sanctionis olim à Sanctæ memoriæ Paulo PP. IIII. contra Iudæos editæ.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Roman. Pontifex Christi Vicarius in terris, nonnumquam ea, quæ pro zelo Religionis à ceteris Roman. Pontificibus prædecelloribus suis concessa dicuntur, ut illibata persistant, approbat, & confirmat, prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudum felicis
reco-